



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

30

m. 214

31

**PVRPVRATORVM  
PRINCIPVM**

**IDAEA**

siuè

**IN FVNERE**

**EMINENTISSIMI PRINCIPIS**

**MARCI ANTONII  
FRANCIOTTI**

**S. R. E. CARDINALIS**

**ORATIO**

Habita in Templo Nationis Lucensis  
Dùm illi Patria communi nomine parentaret

**A IOANNE BAPTISTA BOTTINIO**

Patritio Lucensi.



ROMÆ, Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LXVI.

**SVPERIORVM PERMISSV.**



# III.

*Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino*

**AUGUSTINO  
FRANCIOTTO**

ARCHIEPISCOPO TRAPEZVNTIO  
ET PICENI GVBERNATORI

IOANNES BAPTISTA BOTTINIUS FOEL.



I argumenti præ-  
stantiæ respondens  
Oratoris facundia  
soluere debuisset commen-

A 2 da-

## I V.

dationis vectigal eximijs prærogatiuis Eminentissimi Patru tui, Præsul Illustrissime, euocanda fuissent è tumultis præca illa eloquentiæ prodigia, quorum vocibus echo immortalis affultat posthuma fama cum cadente solum natura rerum interitura. Sed quoniam Diuinæ Marci Antonij Cardinalis dotes utcumque deterantur ingenij culpa, & nullis artis phaleris exornatæ historica solum fide recenseantur, admirationem

ta-

## V.

tamen omnium laceſſunt, gauiſus mirificè ſum, quod ad hoc perhonorificum munus noſtra inuitaretur infantia, in quo obeundo ob immenſam rerum vim nulli eſſe licet indiſerto: & ex morbo diuturno moleſtoque eluctatus; ſcriptionem aggreſſus illi- cò ſum, inſtaurari vires expertus à labore gratiſſimo. Ceterum meæ præcipuè partes erant, hoc ſterili ſerto laudum redimire imaginem Cæleſtis Principis noſtri, qui me-

## V I.

am gentem innumeris sibi beneficijs obstrinxit, ac me præfertim, eo quod eodem censor nomine cum Ioanne Baptista patruo meo, qui vices obeundo præstantissimi Cardinalis in administranda Ecclesia illi desponsa, fato concessit. Quocircà hoc illi quæcumque rependimus obsequentissimi amoris, ac deuotissimi obsequij monumentum, qui nos Auspicij humanissimis perpetuò fouit, & amore munifico. Ad te  
por-

## V II.

porro, Illustrissime Præsul, sua  
veluti sponte conuolat Ora-  
tio nostra, in quo superstes  
viuit in hac aulæ luce Car-  
dinalis egregius, quem non  
virtutibus minus, quàm san-  
guine repræsentas, Sapientia  
præcipuè, & omnigena lite-  
ratura, Vigore mentis, gran-  
di Consilio, Animo excelso,  
vitæ Integritate, ac præclaris  
in Rempublicam meritis: Id-  
circò amoris hæredem te, ac  
cultus aspiciamus, quo illum  
Principem Roma est prosc-

A ↑ quu-




# VIII.

quata. Vale, & ad conuictos  
tuæ genti honores tuis istis  
Virtutum, & Sapientiæ gradi-  
bus incede.

Pur-

# I X.



vrpurati Principis partes implere  
 & dignum esse Cardinem, cui tē-  
 plum augustissimum Diuinitatis  
 in terris Ecclesia Christi nitatur,  
 est singularis, & diuinæ planè vir-  
 tutis Eminentissimi Principes; ità vt satis amplo  
 sit exornaturus elogio quemlibet è vestro Regali  
 Collegio præstantem virum orator, si splendi-  
 dissimo muneri respondentem heroicarum lau-  
 dum multitudinem & splendorem in illo re-  
 præsentauerit. Quid si eundem fuisse conten-  
 dat absolutissimum purpuratæ virtutis exem-  
 plar? Hoc ego in Eminentissimo Principe,  
 Marco Antonio Cardinali Franciotto intueor  
 in præsentia, cuius amplissimum commenda-  
 tionis in campum ingressurus, vt certis quibus-  
 dam finibus circumscribam orationem meam,  
 ex innumeris dotibus eas tantùm seligam, quæ  
 sacri Principis Idæam numeris omnibus abso-  
 lutam efficiunt, Sapientiam scilicet singularem,  
 tenax Iustitiæ propositum, effusam in omnes  
 Charitatem, & studium Religionis eximium.  
 Nequè ingenij mei imbecillitate tam grande  
 argumentum, sed duorum sapientissimorum  
 Pontificum nititur autoritate. Quorum alter,

A 5 vt

# X.

vt Marcum Antonium Franciottum imitatione exprimendum sibi statuerent, recens initiatos Præfules admonerat. Aker cum è cætu uiuentium ereptum audisset, intimo animi sensu conquestus est, Vaticani Regiam amississe præclarum sanctitatis eminentissimæ Senatorem.

Antequam verò fulgentem in meridie solem, & purpura exornatas virtutes admiratione potius quàm laudibus prosequamur, placet ne huiusce lucis Auroram fugienti oculo delibare, quæque viam ad ostrum adornant prærogatiuas cursim suspicere, quæ si non elaborant ideam sacrorum Principum, prærequiruntur tamen in illo, qui Ecclesiæ Patribus exhibiturus est formam prodigiôsæ virtutis. Quamuis Concilio Regum inserat purpura, & præclarissimam afferat lucem imaginibus Prouorum vtrumque iacentium, si tamen inter gentilitia decora virtus adoleuerit Romano murtice orhata, fulgor illi congeminatur, qui mobili statuât in lumine ideam sacrorum arbitris proponendam. Sed iniuriam vobis irrogarem. Cælestes Marci Antonii dotes, si præscriptos vestris laudibus terminos orationis Auorum, meritis confecerem: si alias purpuras, si quæ sita

# XI.

Sita à Sixto IV., dùm regnaret, fratris sui filie cum Ioanne Francisco Francione connubia, si vocatum in partem curarum, & imperii à Julio H. Galeottum S. R. E. Procancellarium, si cum Ursinis, Columnensibus, Roboreis Urbini Ducibus, ac Ioanne Mediceo, qui euectus ad imperium Leonis X. nomine optimè meruit de Christiana Republica, contractas affinitates: si armorum, ac literarum præstantia, quin etiam sanctitatis laude celeberrimos huiusce generis viros enumerarem.

Obruit Auita sydera fulgor Solis, cuius imago non posteros tantum nobilissimæ stirpis, sed sacros Principes animabit ad laudes: qui paternam domum, non opulentis Ecclesiæ prouentibus, sed ditissimo virtutum, ac famæ censu locupletauit. Nobilem ille à sua gente, sydeream à Cælo indolem hausit, qua primis etiam colorum ductibus, & candido lucis flore in pueritia exornauit imaginem Diuinitatis, vt illum docet, qui veluti morum norma Cælicus delapsa Purpuratis Patribus vita sua præscribere, & debeat exempla viuendi. Quandoquidem sicut ex hoc ordine euehuntur ad Vicariam Nuntialis potestatem, sic ex innumeras mortalibus dignif-

## XII.

simi qui letigantur ad hoc Regale Collegium, illi sunt, qui priuatam sortem summis virtutis propriæ laudibus amplificauerint.

Candor præcipuè, & morum integritas commendet illustrandos purpura, quam Cælestis Agnus sanguine candidissimo colorauit. Suspexit in puero diuinam hanc dotem Patria, suspexit Patria doctrinarum Bononia senilem, in iuvene virtutis constantiam, adèdè suprâ reliquos eminentem, vt Maphæus Barberinus, qui tunc illam Urbem Pontificis à latere Legatus, deindè foelicissimè temperauit Orbem terrarum, in illo adamauerit dotes, quas ipsemet proponeret admirationi populorum, ac huiusce iuuenis operosa autoritate difficillimas sedatu diffensiones in illo Archigymanasio inter artium Auditores exortas facili negotio composuerit. Verùm qui discordes sociorum animos mutuae pacis vinculo conciliasti en, vt nonnullos ex ipsis hostes infestissimos experiris pudicitiae tuæ bellum eò sauius quò blandius inferentes? Immittitur in castissimi Iuuenis conelaue auernalis furia sulphurea libidinis face intemerati pudoris arcem impetitura: & blanditiis, precibus, forma, omnibus denique artibus, quibus in  
pa-

## XIII.

palæstra iniquitatis apprimè fuerat erudita, templum animatum Diuini Spiritus oppugnatum. Quid in hoc rerum articulo deprehensus ageret, quid consilii sumeret in hac fluctuantis animi tempestate, quodnam effugium medigaretur ex his difficultatum ambagibus? sodalium ne, amicorumque opem imploraret? Quorum videlicet opera præsens in ipsius perniciem, procella insurrexerat. Vicit inuictus constantissimi iuuenis pudor impudentissimæ furis peruicaciam, & colapho in faciem blandientis impacto rubere coegit ictus vehementia proteruum illum vultum, quem aduersus verecundiæ ruborem sua lasciuia obfirmauerat, & post cæsum fortiter hostem, fugâ victoriam consummauit: Præfulem sanctissimum Franciscum Salesium, quem aliis quoque virtutibus expressit, simili castimonie triumpho consecutus.

Si has palmas metit non dum adulta virtute, si laurus istæ triumphales circa iuuenis crines serpere gestiunt, quis admirabitur, nullo vnquam pondere mortalitatis allisum ad humum, nullo tartarei fulminis halitu maligno afflatum fuisse, ac pulcherimum florem virginæ pudoris ad vltimam ætatem vernantem

## XIV.

protulisse hortis cælestibus inferendum? Ad-  
mirationem certè prouocat sollicitudo singu-  
laris, qua nec expertæ fidens integritati, nec  
partis in lubrica ætate victorijs, grandis ætate  
Vir, & Purpuratus abhorrebat cum dispari  
sexu miscere sermonem, nisi alijs coram ad-  
stantibus, & affixis terræ, ideoque Cælo spe-  
ctatore dignis luminibus: qua suo florem hunc  
educto frequentissimè flagellis sanguine irri-  
gavit, qua illum spinis præcinxit austeritatis  
asperrimæ, non Principibus tantùm, sed vi-  
ris etiàm intrà Religiosa Claustra degentibus  
prodigiosa.

Prolusit modestiæ purpura Romani fulgoris  
ostro Regali, quod maiorem ab illo accepit,  
quàm contulit lucem, postquàm egregiè per-  
functus est munere Præfulis in regendis Vrbi-  
bus: in alenda, quin & delicijs reficienda Vr-  
bium Regina, cum Annionæ Præfectus se-  
dulitate mira, & grandi consilio magis profuit  
Romæ, quàm facundis aquis Nilus Ægypto:  
& librandis lancibus Æquitatis, cum Apосто-  
licæ Cameræ Auditor præbuit argumenta con-  
stantissimæ virtutis, namque indulgebat se se  
quotidie altercationibus disidentium à meri-  
die

# XV.

die adusque solis occasura, stans; & aperto capite illas excipiens, eximia & ferè inaudita charitate onera subeundo nobilissimi Magistratus, quem ex insita moderatione animi demissioneque, mereri quàm ambire maluerat. Quamuis enim inter Apostolicæ Camerae Clericos virtutibus emereret, ac complures ex amicis ipsum vrgerent, vt leuibus quibusdam officijs prouocaret munus illud amplissimum: sublimis animi vir constantissimè renuit. At indubius hinc est gradus ad purpuram, amici suggerebant. Et hoc præcipuè nomine, inquit ille, laceßere non audeo splendidissimam dignitatem, quòd purpuram parit. Instabant rursus, vt saltem apud amantissimum sui Pontificem profiteretur, gratum tàm grande sibi beneficium fore. Hoc etiam præstare abnuit, vt animum excelsissimo magistratu excelsiorem approbaret.

Age verò vt libet Franciotte: constantissimæ modestiæ núbibus meridiana luce nitidioribus Cælestes animi prærogatiuas inuolue, & Christiana demissione cuiuslibet apicem dignitatis exæquante ad emeritos honorum gradus aditum interclude. Virtutis fulgor eximie quam-



# XVI

uis velamine obductus ipse se prodit, & splendidissima inuitat munera, vt illis lectissimarum amplitudine dotium decus & ornamentum afferat singulare. Quamobrem Urbanus VIII. æquisimus meritorum librator, quique virtutum pretia ex ipsarum possessione nouerat, nobilissimorum congerie munerum, ac geminata dignitatum luce illustrauit Franciotti præclarissimas dotes, quæ ad sanctissimi Principis mores, hoc est absolutissimum exemplar viuendi compositæ sub Barberini solis faul-tissimis radijs adoleuerant. Ipsum enim iam dudum virtute purpuratum sua, Vaticana purpura ornauit, ac ad Lucensem Ecclesiam, cui primo inuentus in Vere integerrima vitæ ratione leges exemplo imponere visus est, sanctitate & sapientia, ac postmodum ad Flaminiam nobilissimam conditionis Ecclesiasticæ partem æquisimo imperio temperandam euexit. Hæc ille amplissima munera non minori exercuit virtutis constantia, quàm prodigiosæ modestiæ pertinacia venari officijs fuerat dedignatus. Suum profectò Franciottus esse voluerat ex merito accipere præstantissimos honores, non querere.

Fuit

## XVII.

Fuit illius animus summi capax imperij ; sed summum imperium quibus vnquam studijs, qua significatione animi, verbo quo, aut nutu quaesivit? Num certior factus de prona in se Principis magni voluntate adigi vnquam potuit, vt apud eiusdem Administrum profiteretur, grata sibi accidisse argumenta illa honoris & beneuolentiae? Captum fulgore tergemini diadematis visum in se, dicens, & animum peruolitantes curas Regales ab illa grati animi testificatione proferendas in medium, quae tamen se se nullatenus vellicarent. Nimum quantum à profusa in se liberalitate diuina suam demissionem euectam : altius votis eniti, neque suum esse, nec meritorum fuorum. Enim verò qui ex purpurato Patrum ordine mereatur Vicariam Numinis potestatem, nec ab illa luce fascinetur, hunc esse statuo Purpuratorum Idæam, maximo, quo decoratur, honori, meritis animoque praestantem.

Iam verò Franciotti virtutum decora in purpura, bono scilicet lumine collocata, mirabilem sui pompam explicantes intueamur. Atque vt de Sapiaentia dicere aggrediar, singularis illa in Marco Antonio fuit, & Christianae Reipublicae

## XV. III.

ca summoperè salutaris. Hanc natura firma-  
uit ingenij iudicijque præstantia, laboriosis-  
simum studium ad septem quotidie horas, etiam  
in vltima, & morbis implicata senectute pro-  
ductum excoluit, perfecit egregia sanctitas mo-  
rum, cuius à fulgore maxima lux in animum  
deriuatur. Decem sacris cætibus, ac multis  
præterea præter ordinem Præfulum & Purpu-  
ratorum conuentibus, illius sapientia exerce-  
batur, ac tanto eius sententiæ plausu excipie-  
bantur, vt plures veluti pedibus in ipsas irent:  
Quid quod Sapientissimus Pontifex Innocen-  
sius, dum de varijs placitis admonebatur, se-  
dulò quærere consuevit, quid ea in re sensisset  
Franciscus, maximum in illius autoritate  
pondus esse abitratus, in cuius suffragijs san-  
ctitas pariter & operosum studium emineret:  
non aliam in illius animo sollicitudinem, ve-  
ramque politicam deprehendi asserens, quàm  
Christianæ Reipublicæ commodo consulen-  
tem. Qui priuato nihil bono prospiciat, qui  
curas omnes in publicam conferat vtilitatem,  
hunc verum cardinem fidei, hunc exemplar  
esse Principum, hunc animo magno, magna-  
què præstare sanctimonia, idcirco magnum  
esse

# XIX.

esse inter Purpuratos Patres, quia magna sanctitate præstantem; quis inficiabitur?

En autem sua veluti sponte in exorandam tanti viri iusticiam deuenit oratio. Illi laboriosissima studia, perpetuas curas, amorem consecrauit, & vitam; adè captus pulcherrima speciei iuris & æqui, ut ausus nunquam sit homines, sed Æquitatem solummodo controuersiarum Arbitris commendare, neque spes Clientium lactare, neque pecunia multatis reis veniam indulgere, neque frumenti offerendi facultatem impertiri præstantibus viris, & quorum ipse officijs summoperè indigebat, neque pronum vnquam exhibere in partem aliquam animum suum, quin alterius ante causam cognouisset. Nego quempiam fuisse, qui non facillimos ad illum inueniret aditus, qui in illo studium animaduertit se subtrahendi nouis laboribus, licet antea innumeris premeretur, quin potius non suspexerit eorundem incredibilem tolerantiam, subductas quieti noctis horas, stare iussum, dum per Vrbes Legatus incederet, currum, ad supplices pauperum Libellos excipiendos, deuoratas æquisimo animo sollicitudines in causis

di-

## XX.

dignoscendis, ad quas in sacris Congressibus proponendas sequissimè conspirantibus disidentium votis destinabatur. Nego vlli unquam sacro cætui defuisse, quinimò nihil ab illò solido de die ademptum ministerio æquitatis, cui tempus omne deuouebat, quod in exorando Numine non impendisset; adeoque vitam illius omnem perpetuo iustitiæ famulatu deæretam, & ab eodem inuitatam assero mortem, quam propterea martyrium penè dixerim, quo hæc illum virtus coronauit. Profectò enim post fractas diuturnis laboribus vires fatum, prouocauit frequentia sacrorum congressuum, quorum se nulli exemit, licet ægritudine contabescens & vltima senectute, ac postremis vitæ diebus interfuit illorum pluribus, attonitâ ad hæc Româ, veluti sæpius ante suspexerat in illo instaurata prodigia, quæ Nazianzenus Gregorius narrat Cæsareæ plausibus excepta fuisse, quando suus genitor sanctissimus Præsul *Non dubitauit aggredi iter, ut calculo suo iuuaret electionem Episcopi, ac vehicula impositus, non secus ac feretro, inuenis redijt, filius, ac valens.* Perindè Roma diu multumquè Franciottum vidit reparantem laboribus

vi-

## XXI.

vires , & sacris nutritum negociis , ad quæ progressus affecta valetudine domum redibat incolumis . Diuinitatem quantum homini licet eniti æmulatus , cuius æternum consilium non defatigant curæ mortalium moderatrices . Sed quod procurandæ iustitiæ studium diu illi vitam produxit nouis sollicitudinibus exercendam , idem ipsi tandem triumphale cœlestes ad palmam iter explicuit .

Haftenus in commune consulentem sapientiâ & iustitiâ commodis Reipublicæ , ac miscentium Lites , hoc est virorum plerumque nobilium contemplati sumus præstantissimum Cardinalem . Nunc priuato charitatis amplexu stringentem singulos , etiam abiectissimos mortalium intueamur . Nullam ab amore suo fortunam hominum prohibuit beneficentissimus Princeps . Quoniam flagraret amore salutis animorum dicat Ecclesia illi desponsa , quam diligentissimè perlustrauit , non à viarum angustiis , non ab asperitate laborum , non ab itinerum incommodis retardatus , & ad oppida illa , quæ propius nubibus inaccessi montes admouebant , & quò equi eniti non poterant , pedibus ipse suis progressus , ne manibus dicam,

## XXII.

eam, prorepens. Quodnam ab illius sollicitudine fugientis terræ littus distantia locorum, subduxit, cum protendens ad Orientem vsque magnanimas curas, apud barbaros populos fidei Praecones suis opibus aleret, ac Praesules ferè omnes illarum gentium inauguraret, nec suæ liberalitatis expertes abire pateretur, sacrorum Principum munificentiam, cæterarumque exempla virtutum perpetuis laudibus persecuturos. Quantum illius in omne genus hominum charitas emicuerit inopes dicant, quibus supra triginta aurcorum millia, ut post eius obitum testati sunt consèci ministri Religiosi viri iurati silentii sacramento liberati, quos ipse ad pauperum egestatem subleuandam pecunia obarmabat, quam sibi subtrahere sedulo studuit, neque enim in mensam instruendam opiparis dapibus, nec in domum exornandam pretiosa suppellectili, nec in paternæ domus census amplificandos traducebat sacros redditus, quos ex Summorum Pontificum munifica largitate satis affluenter acceperat, ex quibus aurci tantum sex & viginti reliqui eidem erant dum fato concessit. Dicant diuino cultui consecrati, quorum plurimi à nemine maioribus se beneficiis

## X X I I I.

ficiis deuinctos profitentur . Dicant vel infimæ  
sortis domestici administri, quos benignitate,  
mira, & quasi paterno amore fouebat, ad ami-  
corum fermè conditionem euectos, quique  
ferè omnes in eius famulatu consenuerunt,  
confucto, & sepe geminato stipendio, quin &  
deliciis omnibus, dum morbo decumberent,  
illius in domo relecti, nisi eos sortè parta sce-  
leribus famosa tabes inuasisset, tunc enim fa-  
cile à se abire permisit hostes diuinitatis; mitis  
coeteroqui ergà illos adèdè, vt prouerbio per  
hominum ora Cardinalis Franciotti mansuetu-  
do circumferretur, qua ad suas non semel oc-  
clusas fores hēsit diu multumque præstolatus  
seruos, quorum ignauia ab ingressu prohibe-  
batur, quosque risu benigno, & obiurgatione  
nulla excipiebat .

Intermissa nunquam sollicitudo, qua com-  
modis aliorum, & præcipuè indigentium con-  
sulebat, omnem Marcō Antonio innocuè vo-  
luptatis usum, quin etiam necessariam à labo-  
ribus quietem interdixit, adeoūt, ne suburba-  
nas quidem Tusculi delicias vnquam inuiseret,  
ac nullam sibi diem seponeret, omnes eximia  
charitate impendens in commoda Reipublicæ

pe-



## XXIV.

perinde ac si non præmium laborum purpuram accepisset, sed publico esset famulatu mancipatus; hoc præcipuè nomine verus fidei cardo, cui pondus immensum curarum incumberet: Adeò autem misertus est cæterorum, ut miser ipse propemodum esse vellet, ac pauper, quò in pauperes partiretur proventus Ecclesiæ: nullum quippe est Principe Purpurato, immortalitatemque merito impendii genè dignius, quam quod in erigendam subleuandamque inopum egestatem erogatur.

Itanè verò, inquit aliquis, purpuratis virtutibus non contentus petitas à Religiosis Domibus Christianas reliquas dotes in aulam inuexit? Reprehendam orationem meam, si non frugali, ac fermè vulgari dapè mensam instrui imperabat, si non constantissimè renuit Villam conducere, cuius tamen solitudine mirificè capiebatur, ne destinatas indigentibus opes attereret, quarum se tantummodò diribitorem agnouerat. An non Euangelicæ perfectionis culmen adeptus dicendus est Princeps, qui admiranda Religiosis etiam viris arduarum præbet exempla virtutum, & aulæ luce donat, quas in nemoribus, & Claustris venamur? Neque breui  
sui

## X X V.

suū cordis hospitio illas dignatur, quandoquidē æquabilitate morum perpetua mirabilis fuit, & cum illo adultæ, cum illo pariter cælestes animi prærogatiuæ consenuere.

Nūm autem qui mitissimo ingenio mortalibus omnibus præbuit argumenta singularis amoris, vlla inordinata significatione voluntatis persecutus est domesticum sanguinem, aut beneuolus in omnes animus interimere potuit odium, quod in se ipsum exeruit? Nihil unquam è sacris redditibus in paternam intulit domum: imò nec in Præstantissimi viri, & sibi sanguine, & virtutibus coniunctissimi nomen transferre voluit ante obitum Ecclesiæ prouentus, licet optimè de se, deque sacra Republica meriti.

Porro qui mortales omnes paterno amore complexus, nimium tamē suis blandiri non est ausus, vt in se ipsum inimicitias exercuit immortales t. inseruit cordi sanctissimi viri odiorum semina in semetipsum animi demissio singularis, suiquē contemptus egregius. Verborum ergò solūm avarus, libratorque mirabilis, num excidere sibi quidquam ex ore permisit, quod sui commendationem suboleret? An-

non.

# XXVI.

non modestissimos oculos terræ affigens, dum alios, non modo Principes viros, sed & abiecta foris homines alloqueretur, venerari in omnibus virtutis præstantiam videbatur: quæ munera pauperibus erogabat: quos studio premere conuenit. Neque desunt qui precibus illius diuinitus indultum credant, ut qui per annos supra triginta eius confessiones exceperat paucissime illum diebus facta sublatum aperire non posset. cælestes sanctissimi Presulis dotes: quod pariter Sancti Ignatij Loyolæ verum fuisse reperio literis consignatum. Cum ergo nihil in se, quod amorem promeretur, animaduerteret, odio in se se perpetuo demereri sterneret amorem Diuinitatis. Vidimus educto flagellis cruore suæ liliæ integritatis lactitem. Quæ vulnera factæ de nocturno corpus ornabant, quibus ungebat se ipsum, catenæ, & cylicina vestis, hostilem in se se Marci Antonij animum, & nullum sui, veluti vulgaris animæ studium, habitum aperuerit. Famulari sibi, dum è stratis surgeret, manus à suis adhiberi, dormire quemquam propè suum cubiculum veuit, non sine vitæ discrimine, ne ad aliorum aures accideret, inflictarum sibi plagarum strepitus late

## XXVI.

latè sonorus. Quznam illi dapes gratum saporem elaborarent, quæ insuaves accidissent domesticis nunquam innotuit: quin potius illos perpetua cœpit admiratio, quod tenuissimo, ac parabili cibo vix protrahere vitam possent, quinta solum vini parte temperaret aquæ rigorem, ac nunquam per adnotas illi niues æstivis delicijs indulgeret, & pane solum, & aqua vires reficeret quotiescumque recurrerent profesti magnæ Virginis dies.

Sed pluris facient æqui iudices sanctitatis exceptas animo exultanti molestissimas ægri- tudines, & libentissimè tolerata calicis demissa, quàm spontè inuitata tormenta. Nullam fatiscens animi notam in eius vultu deprehensam; licet per annos plurimos morbis fuerit impetitus: ac dissimulatum prodigiosa constancia calculi dolorem, quo sæuissimo quotidie torquebatur; quatuordecim enim iidemque non vulgatis magnitudinis Lydijs lapides heroi- cæ tolerantie mirificè illum verabant, dum consueta subibat onera mortalitatis; ac dum lacrymas ab illo sæuitia doloris exprimeret, florere in ore risum cogebat vigor generosissimæ voluntatis. Quidhic ego magis admirem A. A?

In-

## XXVIII.

Incredibilem ne perferendi constantiam? An potius inauditam animi demissionem, qua dolorem occultaret, ne admirationi esset acerbissimi victoria cruciatus?

Sui osor acerrimus veras tamen delicias sibi non invidit sapientissimus vir, quin potius, illas venatus est eximio studio Religionis, iisque se diuino beneficio colliquefcere candidè aliquando professus est amicissimo viro: & profectò præcocem illi indultam vsuram beatitatis est arbitratus quicumque perpetuò eius in ore vernantem innocui risus florem aspexit.

Doleo in eas temporis angustias compulsam orationem, vt vela contrahere debeat, dum argumenti præstantia triumpharet. De Religione, qua Deum coluit sanctissimus Præsul, quodquè erat in partitione quartum, dicere prohibemur iniuria temporis præteruolantis. Quamobrem consultò prætereo duas quotidie horas ab illo statutas contemplationi rerum diuinarum, subductum ideò tempus necessariæ quieti, & educta saltem lodicibus membra, cum æs campanum, cuius admonitu suas horas moderabatur, religiosos viros ad orandum inuitabat: diuinas horas tanto studio pietatis Deo per-

## XXIX.

persolutas, vt decretis semper ab Ecclesia temporibus illas percurreret, nisi quando, vt aures præberet disidentibus illum Iustitię Religio commodabat: Cæterum animo vsque adeo à rebus mortalibus auocato exhibebat illud vestigial diuino Numini, vt admonitus inter orandum de admoto suis ædibus igne: Irent porro, & aqua compescerent illius furorem, dixerit pacatissimè, seque finerent frui cælestis Regis alloquijs: Prætermitto oblatam quotidie Patri diuino salutis hostiam, mirabili significatione, cælestis amoris, etiam die, qui eidem ante supremum illuxit, licet viribus destitutus esset, ac ferè animam agens, gauisus quod exhibere, posset aliquod morientis Numinis simulacrum, & simul sacerdotis & holocausti munus subire. Dicere supersedeo cultum eximium, quo Deiparam est profecutus, titulum Templi eidem dicati alijs præhabens splendidioribus; sollicitudinem in frequentando Pontificio facello, cui ferè semper aderat omnium primus, & sacris diuinis abstabat religiosissimè, Cælum vultu spirans, ac Sydera: tantam demùm in exhibendo superis cultu alacritatem, vt ad aliorum vices in sacris muneribus, quoties cum-

## XXX.

cumquē opus esset, obsecundas, obtulerit se paratissimum Apostolici Sacelli Præfecto; Nec alijs delicijs fractas laboriosissimo studio vires recrearet, quàm Æquilinum Deiparæ, vel Vaticanum Principis Apostolorum, aliaque Urbis Tempa, & Cæli Colonias inuisens: quod præstitit quotidie quando pestis per Urbem grassata cessationem à negotijs imperauit.

Quod si domestici sanctè asseuerant, nihil vnquam vidisse se ab illo peractum causa captandę innocuę voluptatis, si Iustitia, & Religio, duo veluti Poli eius perpetuò vitam circumegerunt, si omnibus, quę post cognitās causas illi supererant, horis incolebat animo Cœlum, mirabimur, nullam ab eodem habitam sollicitudinem vitę, & mortem, quam prænouisse visus est, laboribus prouocatam, risuque blanditum illis, qui dicerent, decretoriam esse, qua decumberet, ægritudinem.

Excepta mors animo exultanti, florens in pulcherrimo demortui ore fulgor integritatis, didita per Urbem, Europamque omnem fama sanctitatis, sanctissimo etiam in terris oraculo comprobata, eximiam ipsius virtutem posteris commendarunt. Fleuere pauperes ademptum  
sibi

## XXXI.

sibi parentem , Fleuerunt Religiosi viri Patro-  
num optimum , singulare ornamentum nobi-  
lis Patria , Æquissimum Arbitrum dissidentes,  
Idæam sacrorum Principum Regale Colle-  
gium Purpuratorum . Sed ab adempto nobis  
thesauro-expressas doloris lacrymas alius tem-  
peravit fletus , argumentum animi ob illius fœ-  
licitatem triumphantis . Exultat enim Patria  
ob gloriam nobilissimi Cuius , ac dum illi  
precum & obsequij iusta persolvit in Templo  
eiusdem Auspicij olim illustri , ignorat an  
illius potius hoc laudum tributo famam ampli-  
ficare , eundemque sacrificijs expiatum ad  
Cœlum euehere , an ab ipso iam recepto in  
Concilium Diuorum sperare possit Cœlestia  
munera : Exultant innumeri , quos ille benefi-  
cijs affecit , dum hæredem vitæ famam relictam  
vident à Principe , qui sua omnia , seque ipsam  
aliorum commodo impendit : Exultant præ-  
cipuè Regales eiusdem Collegæ , qui omnibus  
Cœlestis , humanæque gloriæ luminibus exor-  
natam vident Idæam amplissimi muneris sui .  
Hanc exhibitam Romæ à Marco Antonio Car-  
dinali Franciotto Sapiencia , Iustitiæ studio ,  
Charitate , cultuque Religionis , ambigit nemo .  
Cum



## XXXII.

Cum enim Purpuratorum Præfulum vita, vel in exorando Numine, vel in consulendo commodis Reipublicæ, quando vocantur in partem curarum à Vicario Diuinitatis, vel in temperando sortes mortalium in sacris Conuentibus, vel in benemerendo priuatim de genere humano, erogando creditas fidei suæ opes animi atque fortunæ, tota versari debeat, nullus est qui non videat, numeros omnes purpuratæ virtutis explesse Cardinalem Franciortum, qui Religione Deum, Sapiencia Principes, totamque Rempublicam, Iustitia commendatas sibi fortunas dissidentium, Charitate singulos etiam abiectæ sortis mortales, & omne demùm genus hominum fuit amplexus.

## DIXI.

*Imprimatur,*

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Palatii  
Apost.

*O. Archiep. Patracen. Vicesg.*

*Imprimatur,*

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatii Apost. Magist.